DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

HEPATITIDE.

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
HEPATITIDE;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET

NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

LUDOVICUS ANDREAS GIRAUD,

EX INSULA DOMINICA,

CHIRURGUS.

Hæret lateri lethalis arundo. VIRG.

CALENDIS AUGUSTI, HORA LOCOQUE SOLITIS.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT P. NEILL.

MDCCCXXI.

PATRI CARISSIMO,

LUDOVICO GIRAUD, ARMIGERO,

DE *MASSACRE*;

PAGINAS SEQUENTES,

ANIMO GRATISSIMO,

SUMMAQUE PIETATE,

CONSECRAT

FILIUS.

VIRO EXIMIO,

JOANNI GIB, ARMIGERO,

DE *CASTLETOWN*,

CHIRURGO PERITO,

ARTEM MEDICO-CHIRURGICAM

CUM SUMMA LAUDE EXERCENTI,

PRÆCEPTORI EJUS IN MEDICINÆ ELEMENTIS;

DISSERTATIONEM HANC MEDICAM,

OB BENEFICIA MAXIMA AB EO RECEPTA,

TESTIMONIUM ANIMI GRATI,

INSCRIBI,

VULT

AUCTOR.

VIRO EXIMIO,

GULIELMO BOWES, ARMIGERO,

CHIRURGO,

ARTEM APPOLINAREM PERITE ET FELICITER

EXERCENTI;

HANC DISSERTATIONEM INAUGURALEM,

OB BENEFICIA PLURIMA IN SE COLLATA,

ANIMI GRATI TESTIMONIUM,

OFFERT

AUCTOR.

VIRO ORNATISSIMO,

PETRO JOLLY, Armigero,

DE *COUYABONE*,

TAM MORUM URBANITATE,

TAM

OMNIBUS ANIMI DOTIBUS QUÆ VITAM DECORANT

CONSPICUO;

HOCCE OPUSCULUM,

QUALECUNQUE SIT,

OB MAXIMAM EJUS IN SE AMICITIAM, NUNQUAM

OBLIVISCENDAM,

SUMMA VENERANTIA AC HONORE,

DEDICARE GAUDET

AUCTOR.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

HEPATITIDE.

LUDOVICO ANDREA GIRAUD Auctore.

MORBI quibus obnoxium est genus humanum, haud parum ægrotantis ætate, habitu, modoque vivendi quem sequi consuevit, mutantur; quibus tamen omnibus cœli rationem præpollere conjicio. Ad quod illustrandum exempla adduci multa possunt, satis autem sequentia erit subjungere. In Britannia Magna morbi pauci vel frequentius occurrunt, vel sæpius medicam artem,

quam Phthisis Pulmonalis ludunt. Nonnullis tamen in regionibus rarissime obvenit. Hepatitis contra, nisi intemperantia inducta, his raro in terris pollet; quod, tropicis in regionibus pauci tam robusti sunt ut permaneant intacti huic morbo, qui crebrius etsi non minus lethalis quam phthisis pulmonalis Europæis, obvenit.

Hepatitis plerumque in duas species dividitur, Acutam nempe atque Chronicam.

Celeberrimus CULLEN ita definivit: "Pyrexia; hypochondrii dextri tensio et dolor, sæpe pungens pleuritici instar, sæpius obtusus; dolor ad claviculam et summum humeri dextri; decubitus in sinistrum latus difficilis: dyspnœa; tussis sicca; vomitus; singultus."

Variat,

"I. *Acuta*, signis in charactere dictis dignoscenda.

"II. *Chronica.* Hæc sæpe nulla quibus dignoscatur signa præbet; aliquando tamen eandem adesse suspicari potest, ex hepatitidis causis quibusdam prægressis, ex sensu quodam plenitudinis et gravitatis in hypochondrio dextro, ex doloribus plus minusve pungentibus in eadem parte

subinde perceptis, ex dolore quodam a presso hypochondrio dextro, vel a decubitu in latus sinistrum, sentito, et denique ex pyrexia leviori cum dictis signis subinde infestante."

HISTORIA MORBI.

Hepatitidis species acuta, aliquanto rigoris plerumque incipit, interdum tam levis tamen ut ægroto ipsi pene lateat. Dolor hypochondrio in dextro plus minusve acutus est, ad claviculam usque et summum humeri ejusdem perveniens, et tactu morbidæ partis valde acutus: hunc morbum quoque tussis, difficilis molestaque inspiratio, anxietas magna et frequenter delirium, comitantur; decubitus, nisi in dextrum latus, difficilis. Tumor sæpe dextra in regione hypochondriaca cernitur. Urina perparca, rubicundior et bili imbuta, secernitur. Ægrotus cibos fastidit, cutis sicca est, sitis magna, alvo adstricta, et pulso cre-

bro et valido interdum quoque intermittente. Lingua plerumque crusta alba velatur. Somnus perturbatur, et somnia horrifica fere semper hunc morbum præcedunt atque comitantur. Quinetiam, accedunt frequens singultus, vomitus biliosus; et postremo flavus color oriens ex difficultate fellis ductum communem choledochum ineuntis, eo quod jecur inflammatum et ampliatum canales bilis ductores premit.

Signa tamen maxime variant pro parte jecoris inflammata. Si pars convexa inflammatione teneatur, inspiratio difficilior fit, et tussis ac singultus molestiores. Concava autem parte affecta, dolor minus pungens est, at nausea atque vomitus magis torquent: eo quod inflammatio ad ventriculum serpit.

Cullenus, Hepatitidem acutam, semper inflammationem jecoris extimæ membranæ esse putavit; chronicam autem telam reticulatam sive parenchyma afficere contendit.

Signa quæ species chronica hujus morbi præbet, tam mitia atque levia sunt ut vix clare observata fuerint; et sectione tantum cadaveris satis comperta sunt, magnis abscessibus jecinori

inhærere inventis, forsan inflammatione prægressa confectis. Quæ sequuntur tamen hunc morbum adesse indicant; corpus emaciescit, facies valde pallet, capitis dolor, duritia, ventriculi cruditas, ventris inflatio, acor et ventriculi dolores cruciant. Jecur ampliatur, gravius atque plenius, et plerumque aliquantum dyspnœæ inducit; dolor obtusus situ quoque illius organi sentitur, usque ad humerum, scapulam, brachium, collum, ac etiam interdum dextram ad mammam pertinens. Decubitus vel in dextrum vel latus sinistrum dolorem ægro facit, sed præsertim in sinistrum; respiratio laboriosa est, præsertim si quando plus aëris solito in pulmones introducitur. Dolor alvi vexat cum fremitu et ructu, tormina gravia vexant, cum ægrotus cogitur alvum dejicere, etsi nil excernitur nisi pituita sanguine et bili tincta. Lingua sordida ac sicca est, et gingivæ pallidæ et duræ. Pulsus exilis atque frequens fit, cum aucto calore. Urina parca redditur, colore bilioso et urethra calida. Huc accedunt vitiosus cibi appetitus, sitis magna, dejectiones frequentes et intermittentes, cum torminibus in regione umbilici; artus tremunt; subsultus ten-

dinum urget, quinetiam singultus et tussis sicca; stercus quoque luteo colore esse observatur. Interdum abdomen totum intumescit, cum dolore circa umbilicum. Abscessu facto et intus dirupto, pus modo per anum excernitur, fœtidissimum, et æger, labefactis viribus, absumi potest.

DE FINIBUS.

Hepatitis haud secus ac cæteræ inflammationes, in resolutionem, suppurationem, in duritiem aut rarius equidem in gangrænam, desinere potest.

Resolutio plerumque stipatur evacuationibus variis; scilicet, cursu sanguinis e naribus aut venis hæmorrhoidalibus; alvi fluxu, sudore; et urina copiosa, crassa, ex qua multum rufi subsidit. Erysipelas quoque in aliqua parte exteriore, ad resolutionem inferendam, aliquantum opis conferre videtur. Interdum sputum copiosius

solito hujus morbi resolutionem comitari et consequi observatum est.

Quum suppuratione Hepatitis terminata est, nisi remedia sint tempestivâ et idonea, haud raro lethalis evenit. Indicia hujus terminationis sunt, multum caloris, sitis, cutis sicca, jecoris in regione magnus dolor, horrores frequentes, motus arteriarum frequentes et pleni; pulsationis sensus atque ponderis in hypochondrio dextro, ægro in latus sinistrum decumbente; sudor copiosus, atque aliæ febris hecticæ notæ; quæ cum dolore diminuto hunc eventum satis demonstrant. Aliquando indicia puris formati subito cessarunt; et morbus ad aliud organum translatus est, vel celeriter pus absorptum et cum urina excretum fuit. Pus abscessu aut externe vel interne dirupto, educi potest.

Cum pus in parte convexa jecoris formetur, atque inter eam ac peritonæum, adhæsio formata sit, per eam membranam et abdominis parietes pus iter sibi faciat atque externe dimittatur; hic certe est exitus optabilior, et nimis sero haud expectandus est antequam scalpellum adhibeamus. Si adhæsio inter jecur et diaphragma eveniret,

pus per id transire potest in pulmonum cellulas, aut thoracis cavitatem, aut tussi evacuari, aut paulo post ægroto mortem afferre.

Cum inflammatio jecoris convexam partem aggreditur, adhæsio vel inter illud atque ventriculum, vel inter intestina eveniat; ac pus aut formatur aut per anum evacuatur, prout jecur huic illive parti adhæserit.

Durities affectio est quæ chronicam quam acutam inflammationem sequi pronior est. Hujus mali primis gradibus, hepar non tam mole diminuitur ut id sensibus percipiatur; imo vero, uti ait Doctor SAUNDERS, hoc tempore et amplitudinis ac ponderis accessus est; etsi duritie diutina jecur plus extenuatur, quam jam recente.

Probabile est gangrænam raro supervenire: hæc respiratione dolente ac laboriosa, vomitu, assiduo singultu, pulsu parvo et celerrimo, extremis gelidis, spasmis, deliquio, sudoribus glutinosis indicatur; quæ mala letho finiuntur.

DE CAUSIS.

Hepatitis variis causis oriri potest, febribus intermittentibus et remittentibus, dysenteria, et animi affectionibus, gaudio magno, terrore, anxietate, ira, et mœrore, præsertim autem vini et liquorum ardentium intemperantia. Effectus ab his posterioribus hepati inducti sane notabiles, haud satis clare explicati sunt. Ventriculi proximitas minime profecto satis rationem patefacit; nec verisimile est spiritum vini rectificatum adductam ad hepar per biliosos ductus inflammationem excitare. Probabile est spiritum vini rectificatum, aut ejus elementa, ebriorum sanguini inesse; si hoc concedatur, explicatio forsan facilis erit.

Hepar organum vulgo putatur per quod hydrogenium redundans e corpore excernitur. Chemica resolutio bilis et calculorum biliosorum, quæ multum hydrogenii continent, hoc demonstrat.

Carbonium alcoholis per pulmones evacuatur, per jecur major pars hydrogenii. Stimulus hydrogenii tantum demum augeatur ut inflammationem hujus visceris inducat.

Dominus JOHNSON exemplum dat, quod nave Centurion accidit, ubi nautæ duo dum scloppum glande et pulvere nitrate onerarent, scloppo per negligentiam proretæ exploso, brachiis spoliati, aliasque misere multati sunt. Unus mortuus est, quod tantum angoris a mœrore, menti proretæ attulit, ut, etsi ætate annisque florens, confestim Hepatitide correptus est, et paulo post obiit supremum diem *.

Regionibus in ardentibus jecur quavis alia parte corporis ad inflammationem proclivius est, fortasse propter bilis auctam secretionem, quæ evenit cum sanguis frigori expositus in internas partes evolvitur ; vel quod bilis acrior est, atque ita pars irritabilior fit. " I observed," ait Dominus JOHNSON, " that the application of cold to the body, during and subsequent to perspiration, was by far

---

* JOHNSON, p. 307.

the most frequent manner in which the disease was contracted."

Aliæ causæ sunt, calculi biliosi, jecinoris ipsius duritiës, intensus calor, concoctio mala et abnormis, concubitus immodicus, vis vel calvariæ vel hepati adhibita, exercitatio magna sub sole ardente, hydrargyri usus immodicus; et interdum nulla causa manifesta est. Dominus MATHEWS, dicens de febre biliosa aliisque morbis hepaticis, ait, si his morbis jam inclinatis, nausea cum vertigine, torpore et veterno eveniat, hepatitidem plerumque sequi.

QUÆ CADAVERIBUS INCISIS PATEANT.

CONFECTORUM Hepatitide cadaveribus patefactis, jecoris membrana plus minusve inflammatione affecta observatur. Crassior solito videtur, mollior et minus pellucida, atque interdum inflammatio per jecur totum pertinet. Jecur par-

tibus finitimis plus minusve adhæret ope fibrinæ secretæ, quæ membranæ speciem sibi induit. Plerumque pars jecoris anterior adhæsionis locus fit, ubi peritonæo cavum abdominis investienti annectitur. Jecur grandius, nigrius, et durius tactu fit. Jecur penitus dissolutum, interdum fere in humorem purulentum malum et crassum convertitur, hic illic sphacelo ipso corruptum *. Tubercula et hydatides aliquando ejus penetralibus insident; et abscessus magni, pure referti, sæpe obveniunt. MORGAGNIUS meminit jecur gangræna dirutum fuisse: quod tamen malum nuperi se conspexisse negant.

* Vide "The Edinburgh Medical and Surgical Journal for 1818," p. 56.

DIAGNOSIS.

Pneumonia, Gastritis ac Rheumatismus musculorum vicinorum cum quibus Hepatitis facile confunditur, morbi sunt.

A Pneumonia, ab dolore ad claviculam et summum humeri ascendente, atque hypochondrio presso aucto: decubitu difficili in latus sanum, tusse sine ullo sputo, dyspnœa leviori, atque singultu et vomitu, distinguitur.

A Gastritide, ex debilitate minore, et anxietate, delirio raro præsente, vomitu leviori et sede doloris, multo facilius dignoscitur.

In Rheumatismo musculorum vicinorum ex motu corporis dolor magis progreditur, atque artuum majorum doloribus sæpe alternatus.

DE CURATIONE.

Si Hepatitis vehemens atque acuta sit, eadem remedia ei, quæ aliis inflammationibus, conveniunt; scilicet, sanguis liberrime mittendus est, quo neglecto suppurationis discrimen erit. Quantum sanguinis detrahi debeat, docebit ratio doloris, febris, ætatis et virium; sed in toto, viginti unciæ singulis vicibus detrahendæ; eademque moles iterum elici debet, si signa non mitigantur. Medicus eximius Jacobus Currius, ita ut subjeci, de hac re scribit: " From my own practice in this country, as well as from comparing it with others. I am as firmly convinced as I can be of any medical fact, that by the early and free use of administration of calomel, I have saved many a pound of blood which must otherwise have been taken away, to alleviate the urgent symptoms of hepatic imflammation."

Aliquid sanguinis etiam tuto detrahi potest ex jecoris regione, per hirudines, vel cucurbitulas cruentas.

Hujus morbi primo stadio emplastrum lyttæ adhibendum est, quod ex iis utendis multum boni derivatur. Satius erit quoque iterum iterumque hoc remedium imponere, quam ulcus ab emplastro unico ortum servare *.

Si resolutionem inducere conemur, alvi purgantia omni statu Hepatitidis adhibenda sunt. Sales medii aqua soluti, in ventriculum recepti jucundiores sunt, et inito ministrari debent; his autem exitum optatum non habentibus, infusum cassiæ sennæ cum tamarindo indica, et oleum ricini adjicienda, quæ semper fluxum alvi movent, vel compositam ex bili vitiata vel fæcibus insolitis, uti debemus; tunc demum submurias hydrargyri et radicem convolvuli jalapæ dare oportet. Sic alvus optime expurgatur, et irritamentis expeditur.

Medicamenta ex antimonio præparata, parvis dosibus adhibita, ac liquores diluti et refrigeran-

---

* Vide Saunders.

tes, sudore eliciendo utilissima sunt. Ut exitum bonum habeamus, pediluvio quoque utendum, vel tepidario. Decet, porro, jecoris regioni fomenta applicare.

Totum regimen antiphlogisticum præceptum est, præsertim si ob violentiam signorum morbum in suppurationem desiturum timeamus: victu ex carnibus vescendum: liquores aromatici atque ardentes evitandi sunt; acidis plantarum sitis restinguenda: conclave, ubi æger habitat, perflatui libero objiciendum.

Si rationem hanc per quatuor aut quinque dies insequamur, morbo non exinde imminuto, ad hydrargyrum decurrendum. Per medicos quosdam, præsertim apud Indos Occidentales et Orientales, hydrargyrus morbi principio adhibetur; per sagaciores autem medicos haud frequenter prius administratur, quam inflammationis violentia regimine antiphlogistico subacta fuerit. Hydrargyrus autem multum commodi interdum affert. Ratio forsan optima totum corpus hoc remedio imbuendi est, aliquanto unguenti (fere drachma) dextro hypochondrio infricato, per singulas noctes, paulo ante decubitum; si id molestum ægroto

fuerit, inguen perfricetur. Parvi interest, uti SAUNDERIUS notat, quænam pars unguatur, modo corpus probe imbuatur. Cum hydrargyrus extrinsecus adhibitus est, et celerem et certam ejus actionem optamus, submurias hydrargyri cum opio et oxydo antimonii cum phosphate calcis, administrandus est. Unguentum continuandum est dum salivatio lenis cieatur. Si hydrops hunc morbum comitetur, hydrargyrum in corpus introducere difficile fit. Ventriculus tam irritabilis haud raro fit, ut submurias hydrargyri statim ejiciatur. In hoc statu, vomitus atque dolor, haustibus salinis effervescentibus consopiuntur; ac si exitum felicem non habeant, oxydum hydrargyri cinereum submuriati hydrargyri anteponendum est, quod minus ventriculum irritat, ac si medicamina soporifera cum eo conjuncta facile retinetur. Doctor MILLAR narrat, ægrotum doloribus interdum tam affligi, ut duo cochlearia tincturæ thebaicæ adhibere quotidie coactus sit *.

* Vide " Observations," p. 38.

Si conatus autem ad resolutionem faciendam, expectationem fefellerint, atque inflammatio ad suppurationem adierit, puris commodi formationem atque evacuationem externam promovere conandum est. Antequam consilium prius conficiatur, alimento maxime nutriente, vini aliquanto, atque cortice cinchonæ officinalis opus erit. Modus optimus ministrandi cinchonam est pulvis, datus ad simidrachmam vino aut aromatico quovis mixtis, et subinde repetitus; si autem nimium datur, nauseam et capitis dolorem sæpe excitat.

Ad abscessum maturandum cataplasmata emollientia, ac crebro redintegrata, adhibenda sunt. Cum tumor mollis fit et fluctuat, pars ima et eminentior abscessus secanda, nam si intus profluere atque in abdomen profundi permittitur, periculo magno ægrotus objicitur. Abscessus dein solito modo curandus.

DE CURATIONE HEPATITIS CHRONICÆ.

Ad hanc speciem sanandam, medici maxime hydrargyro confidere solent. Ut minimum salivationis producat, parvis dosibus et constanter debet medicus ministrare; si salivatio nimis mature aut vehementior inducatur, statim hoc remedium prætermittendum est. Ut vasis summæ cutis effectus augeantur, et ab irritatione viscera protegantur, cum opio et pulvere antimoniali compositus esse debet. Ad halitum cuticularem promovendum, lanula juxta cutem induenda. Fons apud *Cheltenham* ferro imbutus, ab iis chronicis jecoris affectionibus implicitis, ac sæpe magno cum commodo, multo frequentatur. Alvus leniter salibus medicis purganda est. Indiam habitantibus expeditionem per aquam tentare, et ex continenti ad insulam aliquam demigrare, oportebit. Insula, cui nomen *Prince of Wales Island* et *Mauritius*, sunt loci imprimis apti.

FINIS.